



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 1. De necessitate gratiæ ortà ex peccato originali: vbi de discrimine inter naturam integram, puram, & lapsam, de pœnis peccati originalis: & an negatio omnis cognitionis congruæ, vt congruæ, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38987

CAPVT I.

De necessitate gratiæ ortâ ex peccato originali: ubi de discrimine inter naturam integrâ, puram, & lapsam, de pœnis peccati originalis: & an negatio omnis cognitionis congruæ, vel congruæ, possit esse pœna.

3 **C**ertum est homines nasci in peccato originali, & per illud ingressam esse in genus humanum mortem, concupiscentiam, morbos, & cœteras pœnalitates. Status innocentiae ante peccatum continentebat non solùm gratiam habituales, sed integritatem naturæ, quæ consistit in subordinatione tum corporis respectu

an:-

animæ, tùm partis inferioris respectu superioris. Hæc bona cessarunt quando cessavit subordinatio voluntatis respectu Dei. Ex his tribus subordinationibus constabat status iustitiæ originalis, ita vocatus quoniam iustum est vt inferiora superioribus subdantur. Hæc tamen omnia ~~con~~veniebant illi statui per gratiam separabilem à dono creationis: Damnata est enim hæc propositio Baij. *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur.*

4 Fuit ergo possibilis status puræ naturæ sine elevatione ad filiationē, & visionem Dei: alioquin hæc non essent dona supernaturalia, contra id, quod constat inter Catholicos, & quod

quod sentit August. lib. 2. ad
Bonif. cap. 2. vbi damnat Ma-
nichæos, & Pelagianos, quorū
primi inquit, *meritis natura bo-
næ, Pelagiani autem meritis vo-
luntatis bonæ perhibent diuinitus
subueniri.* Neque Deus lucem
habitaret inaccessibilem si natu-
ralibus viribus potuisset homo
ad eum videndum accedere.
Rursus Conc. Arausic. Can. 19.
vt probaret gratiam Dei pro-
priè dictam, quam Pelagiani ne-
gabam (non autem illam latā,
quam ipsi concedebant, & in-
quā acceptione Patres Africa-
ni in epist. 95. apud Aug: dixe-
runt creationem, & proprietates
naturales posse non ineptè
vocari gratiam, sed non esse
illam, quæ requiritur ad piè vi-
uendum, & quam vocant gra-
tiam

tiam Prophetici, & Apostolici libri) Concilium inquam loquens de hac gratià propriè dictà sic ait: *natura humana etiãsi in illà integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde, cum sine gratià Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratià poterit reparare quod perdidit?* Quibus concinit August. præsertim 12. de Ciu. cap. 9. vbi loquens de Angelis (quorum utique natura non erat lapsa, sed integra) ait, quòd Deus simul in eis erat, & condens naturam, & largiens gratiam; adeòq. distinguit etiam in eo statu gratiam à naturà.

§ Nec tantùm prædicta eleuatio, sed etiam immunitas

O à

à morte, à morbis, à subreptionibus partis inferioris, fuit gratia naturæ indebita, sine qua potuit homo creari. Probatur tùm ex damnatione prædictæ propositionis Baij; tùm quia aliòquin Gentiles solo naturæ lumine non possent admirari, & venerari sapientiam, & providentiam creatoris in hoc mûdo. Viderent enim hominem, cuius bono omnia naturaliter sunt ordinata (vt cognouit Aristoteles primò Politicorum) in multis miserijs nasci. Quæ miserix per aduersarios iniustæ forent, nisi infligerentur in poenâ peccati. Cum ergo naturali lumine peccatum originale non constet, non possent defendere Deum ab iniustitiâ, neque essent *inexcusabiles*,
quia

quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: non enim naturali lumine apparet dignus gratijs ille, qui nostram naturam iniustis ærumnis affecisset.

6 Denique prædicta sententia euertit totam naturalem Philosophiam, quam non pugnare cum Theologià certum est, & ab Ecclesià definitum. Probatursumptū: tota enim Philosophia naturalis fundatur in inductione per experientias, quas habemus in hac vità de operationibus omniū agentium. Sed istæ operationes, per te, non proueniunt à naturà rerum secundum se acceptà, sed sunt accidentalis poena peccati, quâ præcisà, & nos om-

nino aliter operaremur, & coe-
 tera agentia omnino aliter ope-
 rantur in nobis ; ergo falsæ
 sunt, per te , omnes philosophi-
 cæ consecutiones, quas ex istis
 experiētijs elicimus super re-
 rum naturis.

7 Neque ex his euincitur
 naturam humanam per se esse
 malā , ac proinde Deū esse au-
 thorem mali ; tunc enim mala
 esset natura , quādo optabilius
 foret illam non habere , quā
 habere : at videmus, vitam, etiā
 istis ærumnis communibus ob-
 sessam cunctis placere, & mor-
 tem esse horribilem ; ergo na-
 tura sic constituta est melior
 ipsa , quā non ipsa ; ergo est
 simpliciter bona . Quod si ali-
 quando Augustinus ait Deum
 fore iniustum, si independentem

à peccato priuaret infantem creatum ad imaginem suam suà visione, & fruitione, intelligit eum fore iniustum ex suppositione promissionis, & eleuationis antecedentis.

8 Coeterum agnouit Augustinus, ea priuilegia naturæ concessa in statu innocentiae fuisse indebita, & ex gratià; nam lib. 4. contra Iul. cap. vlt. ait, *gratiã magna erat quod terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Consentit S. Thomas lib. 4. contra Gentiles, cap. 51. & 52. in solutione 6. & 9. vbi probat omnes defectus, quos patimur esse cōnaturales, adeòque, immunitatem ab illis fuisse gratuitam in Adà, licet dicat illam fuisse maximè conuenientem prouidi-

dentia diuinæ, ita vt ex eius
immunitatis defectu appareat
probabiliter quædã signa pec-
cati originalis in humanã na-
turã.

9 Id verò confirmatur,
quia peccatum originale non
solùm puniretur poenã damni,
sed etiam poenã sensus si im-
munitas ab istis molestijs sen-
sibilibus fuisset debita nostræ
naturæ secundùm se. Hæc au-
tem consecutio, & repugnat
communi sententiæ Theolo-
gorum, & videtur parum con-
sona verbis Innoc. tertij in
*cap. Maiores, S. sed adhuc de
Bapt. & eius effectu.* Quod cõ-
firmatur ex Arist. 3. Eth. cap. 5.
docente neminem esse dignum
exprobratione, nisi propter ea,
quæ sunt in eius potestate; at
pec-

peccatum originale non fuit in potestate nostrà, & omnis pœna, quæ non sit priuatio beneficij gratuiti, est exprobratio: ergò nulla talis pœna potest inferri propter peccatum originale.

IO Natura ergo ex peccato illo nullà ex parte vel in animà, vel in corpore est deterior, quàm esset secundùm se, & præcisà diuinà gratià; dicitur tamen vulnerata in naturalibus propter peccatum, quia peccatum abscidit illam vitale vnionem, quam ex gratià habebant inter se omnes partes hominis. Quocirca rectè Caietanus distinguit statum naturæ lapsæ à statu naturæ puræ, sicut hominem spoliatū à nudo. Et vbi cœteri Patres, ac

D. Thomas videntur agnosce-
re aliquam prauam inclinatio-
nem, & innaturalē ex peccato
contractam, loquuntur de pec-
cato non originali, sed actuali.
Coeterum benè Chrysost. hom.
de Cruce Domini, *quia man-
ducasti de ligno scientiæ boni, &
mali remansisti homo*, hoc est
remansisti cum illis tantum
proprietatibus, quæ nature hu-
manæ debentur, & D. Th. 1.2.
q.87. art.7. in corp. *principali-
ter*, inquit, *pœna peccati origina-
lis est, quod natura humana sibi
relinquitur (nota, sibi relinqui-
tur) destituta auxilio originalis
iustitiæ, sed ad hoc consequuntur
omnes pœnalitates, quæ ex dese-
ctu nature hominibus contingunt,*
Clariùs idem habet, quest.5. de
pecc. ar.4. ad primum, vbi cum

po-

posuisset, mortem, & alios defectus huius vitæ fuisse de facto poenas peccati originalis consecutas ad subtractionem originalis iustitiæ, ait, illud auxilium datum homini à Deo; scilicet originalis iustitiæ, fuit gratuitum, unde per rationem considerari non potuit; & ideò Seneca, & alij Gentiles Philosophi non considerauerunt huiusmodi defectus sub ratione pænæ. Et adeò putauit S. Thomas peccato originali non esse tributam aliam poenam, quàm subtractionem donorum gratuitorum, vt eadem, q. 5. art. 3. in corp. neget in pueris decedentibus sine baptismo afflictionem ex pænâ damni; saluans hoc eò quòd non habeant fidem de fine supernaturali, ad quem destina-

bantur; & ideò, inquit, se priuari tali bono anima puerorum non cognoscunt, sed hoc quod per naturam habent, absque dolore possident.

II Neque dici potest cum Gabr. Vasquez poenam peccati originalis esse, vt Deus neget cogitationes congruas, quæ sūt speciale, & gratuitum Dei beneficium; & sine quibus impotens est homo impotentia consequenti ad benè operandum; hanc verò poenam remitti ex merito Christi quibuscumque benè operantibus. Primò enim hinc sequeretur, Infantes cum solo originali defunctos nullū actum honestū elicituos per totam æternitatem. Nulla enim poena eis remittitur ex meritis Christi.

Præ-

12 Præterea argumentamur
ad hominem cōtra ipsum Vas-
quez, qui non admittit præ-
determinationem physicam, &
adeòque putat congruitatem
cogitationis compleri per ipsā
actualem operationē bonam,
negationem verò congruita-
tis per negationem eiusdem
operationis bonæ; quamuis e-
nim dicat neminem posse benè
operari cū cogitatione magis
inclināte ad malū, docet tamē
tunc posse actum suspendi, &
per eam suspensionē determi-
nari intellectum, vt quærat mo-
tiua pro alterà parte, & vt pro
illà efficacius moueat. Quare
carentia cogitationis congruæ
pro toto illo breui spatio tem-
poris, pro quo obligamur elice-
re actum bonum includit in-

sententiã ipsius Vasquez, negationem talis suspensionis, quæ negatio reipsã est peccatum. Hoc posito neque per ipsum, neque per quoscumque nō constituentes congruitatem in prædeterminatione antecedenti, dicimus asseri posse, infligi à Deo, tanquam penã homini liberè operanti, & habenti necessitatem disiunctiuã vel benè operandi, vel peccandi, carentiam omnis cogitationis congruę non solum pro totã vitã, sed ne pro minimo quidem spatio, pro quo habeat istã disiunctiuam necessitatem.

13 Probatur primò, quia pena, vt pena intenditur à iudice infligente: est enim obiectum iustitię punitiuę. Sed negatio cogitationis cōgruę pro toto illo

spa-

spatio nō potest intendi à Deo; ergò non potest esse poena. Minor probatur quia negatio congruitatis includit intrinsecè negationem actus boni debiti in illo spatio, vt supponimus; ergò includit intrinsecè peccatum. Sed peccatum non potest intendi à Deo; ergò tota illa negatio congruitatis non potest intendi à Deo.

14. Secundò, quia poena nō potest esse essentialiter voluntaria ipsi punito, vt docet S. Th. 1. 2. q. 87. art. 6. Hinc inferens poenam satisfactoriam diminueret aliquid de propria ratione poenæ. Et certè non debet pendere à libertate delinquentis puniri, vel non puniri. Sed in sententià ipsius Vasquæ est liberum homini per bonam ope-

operationem facere, quòd eius cogitatio hìc, & nunc, sit congrua; ergò negatio congruitatis non potest esse poena.

15 Tertiò, quia vt docet idem Vasq. cum S. Thoma, 1. 2. q. 87. art. 7. vnum peccatum non potest esse poena alterius. Sed negatio congruitatis secundùm totum id, quod dicit includit formaliter peccatum in sententià eiusdem Vasquez; ergò negatio congruitatis secundùm totum id quod dicit non potest esse poena peccati.

16 Quartò, quia poena debet esse aliquid simpliciter bonum, & debet honorare ipsum ultorem, & mederi culpæ præteritæ; ideòque ait Dion. 4. de diu. nom. *plecti malum non est, sed, esse dignum supplicio.* Sed
pec,

peccatum & malū, est nouus contemptus Dei, & nō est medela, sed nouum venenum; ergò non potest includi intrinsicè in pœnà.

17 Neque dicas cum Roderico Arriaga, ad rationem pœnæ non requiri, vt puniens velit formaliter ipsam punitiōnem, sed satis esse si velit id, cui videt annexam rationem mali, & velit id ex hoc ipso moti-uo cōnexionis visæ: sicut Deus reipsà amat pœnam propter culpam præteritam, & tamen non amat culpam præteritam: nā cōtra ipsum primò est, quoniam si Deus dat cogitationē illam quoniam videt fore incongruam; ergò non dat sincero animo intendens per illā bonum hominis; atque adeò
illa

illa cogitatio non erit gratia
secundum definitionem Ari-
stotelis 2. Rhet. c. 2.

18. Secundò, & à priori cō-
tra est: nam dispar est ratio in-
ter ea, quæ supponuntur vt
præterita, quando aliquid de-
cernimus, & inter ea, quæ ex
nostro decreto cōsiderantur o-
ritura. Illa enim præterita pos-
sunt displicere, & tamen prop-
ter illa potest placere aliqua
operatio futura, non vt bona
simpliciter, & quasi speculati-
uè considerata, sed vt necessa-
ria hìc, & nunc, ad eòque, vt bo-
na practicè: cuius bonitatis ra-
tio est, quia illud præteritum
necessitat nos disiunctiuè ad
aggregatum, vel ex illo præte-
rito, & ex tali nostrà operatio-
ne futurà, vel ex eodem præte-
rito.

rito, & ex negatione talis operationis: Et licet in eo casu vtrumque aggregatum sit malum simpliciter; tamen primū est minus malum, adeoque est bonum practicè, & in ordine ad electionē: eligere enim minima de malis possibilibus est actus prudens, & honestus. Ita contingit præsertim in operationibus, quæ fiunt ex metu: ex. g. mercator amat projectionem mercium propter periculum naufragij, & tamen non amat illud periculum; imò si posset, vellet potius projectionem sine periculo, quàm cum periculo; tamen illud periculum reddit projectionem practicè amabilem, quia reddit peiorem ipsà negationem projectionis. Id autem est

pra-

practicè amabile hìc, & nunc,
 cuius contradictorium hìc, &
 nunc, & suppositis ijs, quæ non
 sunt in nostrà potestate, est
 ipso deterius. Similiter Deus
 vult pœnam propter culpam,
 quia ex suppositione, quòd cul-
 pa præcesserit, & quòd in hoc
 signo non sit in eius potestate,
 quin culpa sit commissa; se-
 quitur pœnam esse bonam nō
 simpliciter, sed inter ea, quæ
 considerantur: vt possibile in
 hoc signo, quoniam peior est
 culpa sine pœnà, quàm cum
 pœnà.

19 At alia ratio est, quādo
 aliquid amatur practicè prop-
 ter effectum indè secuturum.
 Sicut enim est in meà potesta-
 te non ponere illam rem; ita
 est in meà potestate non pone-

re

re effectum illius. Si ergò amo
illam propter effectum quem
video secuturum; ideò amo;
quia independenter ab omni
suppositione, quæ sit extra meã
potestatem, magis amo, & ma-
gis volo aggregatum ex ipsà,
& ex effectu futuro, quàm ip-
sam solam; ergò amo, & volo
practicè vltra ipsam, etiam effe-
ctum futurum, si enim redige-
rer, ad hanc disiunctivam ne-
cessitatem, vt res esset ponen-
da, vel cū illo effectu, vel sine;
vellem cum illo, non sine illo.
Et quidem constat lumine na-
turæ apud omnes non posse
amari A, quia faciet B, nisi ame-
tur tanquam vtile ad B, adeò-
que tanquam medium; sed nō
potest amari A, tanquam vti-
le, & medium ad B, quin
ame-

ametur B, ergò &c.

20 Patet igitur in prædictâ sententiâ Gabrielis Vasquez, & omnium aliorum, qui non constituunt congruitatem, & incongruitatem gratiæ adequatè intrinsecam ipsi gratiæ, non posse infligi hanc carentiam vt pœnam à Deo. Potest quidem Deus in pœnam peccati præteriti conferre minorè gratiam, quàm aliàs conferret ad vitandum peccatum futurum: in quo sensu permissio peccati sequentis dicitur pœna antecedentis: non intendit verò Deus per hanc subtractionè gratiæ ipsam commissionem peccati; sed intendit illam difficultatem, & conatum maiorem, quem operans subit resistendo tentationi cum mino-

re

re gratiâ. Potest tamen è di-
uerſo Deus dare cogitationem
congruam in præmium operis
boni: nam ipſa congruitas po-
teſt à Deo intendi: neque eſt
contra rationē præmij, vt eius
acceptatio pendeat à libertate
illius, qui præmium recipit. De-
nique omnia argumenta, qui-
bus probauimus negationem
congruitatis non poſſe eſſe
pœnam, ſunt inualida ſi adhi-
beantur ad probandum neque
congruitatem poſſe eſſe præ-
mium de congruo retributum,
vt patebit conſideranti.

21 Neque verifimiliter phi-
loſophantur alij, qui dicunt, na-
turam lapſam debiliorem eſſe,
quàm fuiſſet pura, propter li-
centiam Dœmonibus conces-
ſam ad tentandū. Primò enim
hec

hæc licentia in multorum opinionone non videtur esse aliquid non connaturale, atque adeò non conueniens etiam respectu puræ naturæ, cui opinioni videtur fauere S. Thom. 2.2. q. 165. art. 1. in corp. docens connaturale esse homini, vt à naturà superiori possit induci vel ad bonum, vel ad malum, & ideò ait fuisse conueniens, vt permetteretur Doemoni tentare primos parentes. Si autē hoc neges, & dicas, nō esse connaturale, vt Angeli in humanis operationibus sese immisceant; quero, an Deus sicuti permisit malis Angelis tētare homines lapsos, ita permiserit bonis eosdē iuuare, an non; si primum; vtique natura lapsa non est debiliior, quàm pura; quoniam bo-

ni

ni Angeli, & numero plures, & viribus, ac sapientià validiores sunt, & plùs habent caritatis, quàm mali habeant odij, & invidentiæ: si secūdum; hæc pœna non videtur debita peccato originali; sicut enim ei non debetur pœna sensus, ita non debetur simul traditio in manus hostis potentissimi, & infensissimi qui perducatur hominem in necessitatem moralem incurrendi eiusmodi pœnam, & simul prohibitio auxiliatoribus ne suppetias ferant. Hæc enim esset pœna grauior quàm pœna sensus; quippè tolerabilius est solum cruciari, quàm poni in morali necessitate noui criminis merentis illum cruciatum.

22 Dicendum ergò est, nulla

la

lā ex parte naturam lapsam
propter solum peccatum ori-
ginale debiliorem esse quā
puram; aliòquin sequūtur duo
grauissima absurda: Alterum
est, quod aliquis possit puniri
in naturaliter debitis propter
id, quod non fuit in eius pote-
state. Quod principium si se-
mel concedatur, datur magna
ansa hæreticis negantibus in-
ijs, qui damnantur, potestatem
vitandi damnationem. Alte-
rum est, quòd euertatur tota
Philosophia, vt supra demon-
strauimus. Ex alià parte hæc
nostra conclusio premitur gra-
uissimā difficultate quoniam
natura lapsa non habet vires
moraliter sufficientes ad vitā-
da diu peccata mortalia, atq;
ad eò ad vitandam damnatio-
nem

nem, quippe quæ vitari non potest sine abſtinentiâ ab omni peccato mortali, cum pro tali peccato ſemèl commiſſo non poſſit pura creatura ſatisfacere, vt probabitur in *libro de Incarnatione*. Ideòque licèt nunc omnes etiã Ethnici aſpergântur aliquo auxilio indebito illis obueniente ex meritis Chriſti, hi tamẽ ferè omnes damnântur: ex quo patet longè maior propenſio naturæ in actu primo ad damnationem, quàm ad ſalutem. Ergò ſi hic ſtatus eſt connaturalis homini, natura hominis ex ſe eſt mala, & inepta ad ſuum finem.

23 Vt hanc difficultatem ſoluamus, obſeruandum eſt nõ id eſſe malum, quod non poteſt conſequi ſuum finem proprijs

P

virij.

viribus. Si enim hoc esset, neque plantæ, neque pleraque animalia essent bona, quippe quæ egent culturâ, & educatione hominis, homo verò seorsim ab alijs acceptus est animalium insufficientissimus sibi, quemadmodum notat Arist. 1. Politicorum. Quæ insufficientia non prouenit à nouercali odio naturæ, sicut suspicatus est Plin. 1. 7. hist. c. 1. sed potiùs à naturæ beneuolentiâ, quæ per hanc insufficientiam, adeoque indigentiam voluit necere homines inter se arctissimâ caritate, ex quâ existeret Societas humana dominatrix huius Vniuersi. Et ipsa natura humana indiget Angelis volentibus mouere orbés cælestes, & curare hæc elementa. Ut ergò aliquid non sit malum, sed

sed bonum, satis est si possit cō-
sequi suū finē vel per se, vel per
aliū, qui probabiliter sit ei auxi-
liaturus in ordine ad talē conse-
cutionē. Et hoc vidit S. Th. q. 5
de pec. ar. 1. in corp. vbi ait per-
fectiorē esse illā naturā, quæ est
capax magni boni per auxiliū
exterius obtinendi, quàm quæ
solūm est capax parui boni abs-
que exteriori auxilio. *sicut*, in-
quit, *meliūs dispositū dicimus esse*
corpus alicuius hominis si possit cō-
sequi perfectā sanitatē licet multis
auxilijs medicinæ, quàm si possit
cōsequi solūm sanitatem quamdā
imperfectam absque auxilio me-
dicinæ. Et ex hac doctrinā in-
fert præstantiā creaturæ ratio-
nalis supra irrationalem.

24. Ita ex. g. non dicuntur
esse in malo statu illi, qui non

P 2 ha-

habēt vnde viuāt ex bonis suis, si versentur in eā communitate in quā soleant esse homines diuites, & misericordes, qui egenis necessaria suppeditēt. Quod si non arguit malam constitutionē alicuius naturæ, hæc dependentia ab arbitrio alterius creaturæ, multò minùs eam arguit dependentia ab arbitrio diuino. Siquidē vt diximus libro super. nō solū *esse*, est beneficiū Dei gratuitum, & indebitū, sed multò magis *bene esse*, quod optimè paucis explicauit S. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 2. ad 2. *peccare inquit nihil aliud est quā deficere à bono, quod conuenit alicui secundum naturam. vnaqueque autē res creata, sicut esse, nō habet nisi ab alio & in se considerata nihil est; ita indiget conseruari*

in bono suę nature conuenienti
ab alio; potest enim per se ipsam
deficere à bono, sicut & per se ip-
sam potest deficere, vel non esse
nisi diuinitus adiuuetur.

25 Eamdem doctrinam in-
dicauit Aug. de Corrept. & gra-
tià c. 11. vbi loquēs de Adamo
ante peccatum sic ait: *liberum
arbitrium ad malum sufficit, ad
bonum autem parum est, nisi ad-
iuuetur ab omnipotenti bono; quod
adiutoriū si homo ille non deseru-
isset, semper esset bonus, sed de-
seruit, & desertus est.*

26 Natura igitur secundum
se non est mala, quoniam licet
independenter ab aliquà libe-
ralitate Dei non possit conse-
qui suum finem; hæc tamen
Dei liberalitas non est donum
supernaturale, hoc est excedēs

conditionē naturæ : si enim id
esset, utique natura esset mala;
nā omne supernaturale ex ge-
nere suo est mirabile, ac proin-
de est improbabilissimum: ma-
lum verò esset nasci cum tantā
improbabilitate viriū sufficien-
tium ad vitandam miseriam.
est ergò illa liberalitas Dei do-
num naturale quidem, hoc est
naturæ conueniens, & propor-
tionatū, atque adeò, verisimile,
nō tamē omninò debitū, sicut
calor igni, & humiditas aquæ.
Et hoc eodem modo dicuntur
gratiæ Dei pluiæ, serenitates,
bona valetudo, & alia eiusmo-
di, de quā re diceretur latius in
matoriā *de fide*. Cū ergo Deus
sit potentissimus, & inclinatus
ad benefaciēdū suis creaturis,
fatis aliquid intelligitur esse bo-
num

num, si producatum cum ista probabili spe obtinendi ea, per quæ perueniat ad suum finem. quòd si posset ad eum peruenire proprijs viribus, nō esset eius bonum, sed malum; quoniam haberet perfectionem derogantem dignitati summi boni. Et ideò ne terrenam quidē qualēcumque fælicitatem posse haberi sine gratiā Dei, docuit August. l. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium c. 4. & epistolā 120. ad Honoratum. Cæterum hūc spectat illud axioma Arist. & S. Th. *illud posse dicimur, quod per amicos possumus.*

27 Contra hanc doctrinam obijci potest, quoniam vel Deo liberum est dare existentiam homini puro sine potentiā mo-

rali consequendi suum finem, vel non est liberum: si secundū, ergo hæ vires non sunt beneficium distinctum à dono creationis in naturà purà, sed certū est eas esse donum distinctum in naturà lapsà; hæc igitur est debilior in naturaliter debitis, quā pura, cōtrà id, quod asseruimus: si primū, ergo Deus potest esse author mali simpliciter, quoniā malus est ille status, qui est deterior, quàm ipsum *nihil*, sed deterior est status hominis moraliter necessitati ad suam damnationem quam ipsum *nihil*, ergo si Deus potest esse author eiusmodi status; utiq. erit author rei deterioris, quàm *nihil*.

28 Sed hæc obiectio ab omnibus solui debet; quicumque enim

enim, quãuis habeat vires moraliter sufficiẽtes ad benè operandũ, si tamen careat illis viribus, sine quibus Deus præuidet eum peccaturum, est in statu magis odibili, quàm sit *nihil*; sed quicumque peccat mortaliter, ponitur à Deo in tali statu, in quo Deus præuidet eũ peccaturum: ergò ponitur in statu magis odibili, quàm sit ipsum *nihil*. Non ergo debemus loqui de toto illo statu, quasi proueniat ab vnico decreto Dei; Hoc enim modo Deus non cõferret beneficium nisi prædestinatis: quippe ceteris melior esset annihilatio, quàm id, quod habent coniunctum cum diuina certitudine de eorum damnatione. Ex quo sequeretur, quòd cum Deus non possit esse

P s author

author mali, non posset quemquam producere, nisi cum efficaci voluntate saluandi illum, atque adeò salus non esset beneficium distinctū à dono creationis, neque posset creatura vnquam contemplari suã presentem indigentiam, & per eã moueri ad orandum Deum, in cuius libertate sita est eius felicitas vel miseria.

29 Quòcirca plura Deidcreta cōsideranda sunt, scilicet illud primum creandi, & ponēdi hominem in tantà probabilitate acquirendæ felicitatis, & hoc quidem est beneficiū; quia vnusquisque prudens præeligeret illum statum, quàm iacere innihilo, tùm propter probabilitatem, quam habet de diuina misericordiã sibi subuenturã.

rà, tùm quia fællicitas, quã sperat, lōge maior est miserìa, quã timet. Et ideo puto, nisi natura eleuaretur ad finem supernaturalem valde remissiores fore pænas Inferni, nūc verò sunt intensissimæ, vt earum metu perducamur ad diuinam fællicitatē longè illis maiorem.

30 Posito autem beneficio accepto ex vi illius prioris decreti, vtique si Deus liberaliter nō subueniat, nullā infert iniuriam, quoniam subuenire non tenebatur, sed tantum nō confert nouum beneficium, cuius probabilem spem habebamus; adeòque in illis duobus decretis considerari debet Deus, ac si esset duplex agens, quorum alterū beneficeret ponēdo in illà probabili spe, alterū neq. benè

P 6 neque

neq. malè faceret, negando beneficium indebitum. Quæ doctrina posset multis exemplis illustrari.

31 Et quidem de facto ita Deus se gessit, ut tam ante, quam post peccatum originale expectabilius sit nasci, quam non nasci, etiam considerato toto illo statu, in quo homines ponuntur ante omnem casum fortuitum, & pendentem à libertate humanà. Et sanè quòd optabilius sit nasci, quam non nasci cunctis hominibus, etiam post peccatum originale, nō potest admitti ab ijs, qui utuntur supra dicto argumento contra nostrā sententiā, ut probent, si ea esset vera, nō futurum fuisse beneficium nasci in purā naturā cum illā debilitate, quā nunc habent

Ethni-

Ethnici . Id tamen nos probamus, quia innumeri moriuntur antequam perueniant ad vsum rationis, & sic habent in limbo statum lōgè optabiliorem, quā iacere in nihilo. Alij verò qui perueniunt ad vsum rationis semper de facto habent potentiam moralem vel proximam, vel remotam vt salui fiant, de quā re dicam inferiùs . Et quāuis multi nascantur in tali regione, & in talibus circumstantijs; vt probabilior sit eorum dānatio, quā salus; tamen fortaſſe decretum de illis creandis fuit antecedēs in Deo ad præuiſionē eiufmodi euentuum, quippè qui euentus pependunt à caſibus fortuitis, & à libertate præteritorum hominū reſpueantium veram fidem, &
quid-

quidquid de hoc fit, est tantus excessus boni in beatitudine supernaturali supra malum pænæ Inferni, sicut ostendimus lib. i. ut quæcumque moralis potentia, quamvis exigua cōsequendi tale bonum sit maxime optanda, & eligenda etiam cum maximo periculo incurrendi illud malum.

32 Pænā ergo peccati originalis fuit carentia donorum gratuitorum tūm in supernaturalibus, tūm in naturalibus, quam pænā nemo potest conqueri sibi irrogatam esse ex crimine, quod nō fuit in eius potestate; sicut enim Deus poterat dona illa nullo modo conferre; ita fuit non iniustitia, sed liberalitas sic conferre illa primo parēti hominū, ut si is magnis auxilijs

xilijs instructus legem seruaret,
ea dona transfunderentur ad
posteror, si eam violaret, non
trāsfunderentur; Quòd si Deus
condidisset hominem in purà
naturà, probabile est daturum
fuisse omnibus hominibus gra-
tiā naturalem, quā magis in-
clinarentur ad innocentiam,
quàm ad peccatum mortale
in totà vità, vel certè
daturum illis aliquod
remedium pæniten-
tiæ naturalis, quā
mundarentur à
peccato cō-
misso.

CA-